5

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
De
SANGVINIS TEMPERIE OPTIMA CONSERVANDA ET RESTAURANDA,
QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, CETERA.
In Illuſtri Fridericiana
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ERNESTI STAHLII,
MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDINAR.
DN. PATRONI, AC PROMOTORIS SUI ÆTATEM DEVENERANDI,
PRO LICENTIA
Summos in ARTE MEDICA Honores, Inſignia, & Privilegia DOCTORALIA, rite ac legitime capeſſendi,
Die Febr. A. MDCCVI.
IN AUDITORIO MAJORI
Placido ac publico Eruditorum examini ſubmittit
THEOPHILUS CASIMIRUS EYSENER,
DELITIO-MISNICUS.

HALÆ MAGDEB. Literis Chr. Henckelii, Acad. Typogr.

PROOEMIUM.

CUm omnis vera atque ſolida ars, tanquam habitus cum recta ratione effectivus, præſupponat rationem, ſecundum quam exerceri debeat, eamque in ſuis ſubjectis, animadvertere ac attendere neceſſe habeat: ita valet hoc etiam inprimis de Medicina, tanquam artium, uti recte monet Hippocrates, omnium nobiliſſima. Sicut enim hæc, maximo utique jure, propter dignitatem ſui objecti, vitæ atque ſanitatis humanæ, rectam rationem ducem & auſpicem ſequi debet; ne quid ſine illa aut contra illam audendo, adeoque à ſcopo ſuo aberrando, culpam atque reatum contrahat: ita cum etiam ſubjectum habeat, ſumma ratione concinnatum atque ſuſtentatum, corpus humanum ejusque œconomiam, tam partium, quam motuum exquiſitiſſimo ordine inſtructam: non poteſt utique ſine rectæ rationis vigilantiſſimo concurſu haſce res recte comprehendere, nedum illis recte atque ordine ſubſervire.

Sicut autem, rem verè ſecundum ſanam rationem

æſtimando, princeps & præcipuum œconomiæ huius momentum eſt ipſe MOTUS, & ejus reciproca proportio cum partibus corporis: ita certe illud, quod ratio artificioſa quam maxime inveſtigare debeat, eſt hæc ipſa mutua habitudo Motus ad partes, & partium ad Motus, in corpore humano. Sicut autem princeps omninò pars, quæ & moveri debet, & proinde ad Motum rectisſime diſpoſita ac idonea eſſe, eſt Sanguis; tanto magis utique utile, imò neceſſarium eſt, hujus veram proportionem ad motum intelligere, & quòmodò illi proſpicere ſit integrum, ut hanc proportionem ſervet, non amittat, aut amiſſam recuperet, intelligere, atque cognitum habere. Cum itaque omnino ſit negotium quod ad verè Medicam Theoriam quam maximè pertineat, nempe non ſolam nudam hiſtoricam notitiam ſuppeditet, ſed etiam certos quosdam reſpectus ſubminiſtret, ſecundum quos Medicus ipſam ſui praxin inſtruere posſit, imo praxin ſuam ad hunc ipſum dirigere debeat: placuit mihi propterea hanc ipſam conſiderationem thematis Inauguralis loco evolvere atque deducere, quænam ſit SANGVINIS TEMPERIES OPTIMA, quam Medicus conſilio ſuo & auxilio artificioſo, CONSERVARE & labefactatam RESTAURARE, cordi habere debeat. Quod propoſitum ut ad optatum finem recte perducere valeamus, Divinam gratiam atque benedictionem, ut nos in omnem veritatem manuducat, ſupplices invocamus.

§. I.

§. I.

QUando vel leviter animus advertitur ad ſeriem rerum totius hujus uniuerſi, non poteſt nos fugere, quod omnia quæcunque percipere valemus, una quadam re nitantur, eique ſuperſtructa ſint, quæ eſt MOTUS.

§. II.

Neque verò minus manifeſtum fieri poteſt, animo ſolerter contemplanti, quod actus hic quam maximè vigeat & emineat, in inviſibilibus, *tenuiſſimis* hujus univerſi ſubſtantiis: inde verò ad *craſſiores* excurrens, per has veluti debilius, certe tardius, progrediatur.

§. III.

At verò adhuc prudentiore ſolertia etiam illud comprehendi poteſt, quod hic ipſe *vniverſalis motus*, ita perpetuo & velut æterno circulo & progreſſu, de una re ad alteram feratur: & jugi ſucceſſu pergendo, tranſeundo, ſuccedendo, redeundo, æternum illum *circulum* ſervet atque ſiſtat.

§. IV.

Majore autem ingenii & perſpicacitate, & aſsiduitate, ſed & omnino dexteritate, opus eſt, quàm triviali, ad cognoſcendam illam mutuam ſubordinationem, atque *dependentiam*, qua Motus *univerſaliores*, per multas ſpecies rerum progrediendo, in his ſpecialem quendam habitum præ ſe ferendo, minùs exercitatis mentibus, *inſiti & immanentis* Motus ſpeciem faciùnt: cum perpetuo *emanantes*, & manifeſtis ſucceſſibus progredientes; facile agnoſcantur, ſi non è *paucis*, imò *ſingularibus* planè phœnomenis, mox concluſio formetur, ſed potiùs *nexus* rerum, qui revera in exercitatos ſenſus incurrit, decenter attendatur, & tanquam *inſeparabilis connexionis ſcala*, ita ad veritatem unitatis tandem adſcenſus abſolvatur.

§. V.

Ubi certè ſummopere cavendum eſt, ne generaliores veritates, inſufficiente applicatione & explicatione, iterum præmaturam, eoque ipſo deficientem, concluſionem producant.

 Quam-

Quamvis enim nemo dubitaverit concedere, quod in hujus univerſi ſyſtemate, nihil ſit ad *abſolutam quietem* deſtinatum; tamen immenſus hiatus eſt inter hanc poſitionem, & concluſionem: ergo in qualibet re eſt *Motus proprius*, *inſitus*, & *immanens*. Cum ſane abſolute ſufficiat, perpetuo *influxu atque tranſitu* Motus *activi*, res omnes & ſingulas perpetuo agitari, eoque ipſo omnino aſſequi & exſequi *deſtinationem* illam, quod nunquam abſolute quieſcere debeant. Alterius autem capitis eſt locutio: *nihil abſolutè paſſivum* eſſe. Cum quilibet, minime *vocabulorum* metaphyſicorum, ſed *rerum* realiter diſtinctarum intelligendarum compos, ſimpliciſſima etiam ratiocinatione, æternæ veritatis eſſe comprehendat; ſi etiam maxime res tandem quæcunque, vere inſitum atque proprium haberent Motum, quam diu illa *res*, & *Motus* qui illam agitat, non eſt *unum idemque*, nempe *Motus abſolutus*; ſed *Motus in re*, imò potius *in rem*; tam diu itaque ſit abſoluta neceſſitate atque veritate, *res* abſolutè *paſſiva*, adeoque *actioni*, qui ſive *in illa*, ſive potiùs *in illam*, & *per illam* agit, *paſſione abſoluta* ſubjecta. Ejusdem autem certitudinis, & æternæ adeo veritatis eſt, quod hoc eodem reſpectu, planè nullius ponderis ſit diverſitas illa, an talis res Motum habeat *inſitum* atque proprium, an vero *tranſitorium* quidem, ſed perpetuo tamen *ſucceſſu*, & indeſinenti veluti fluxu *perennantem*, neque unquam prorſus & abſolute *deficientem*. Sicut enim hoc ſimpliciſſimæ rationi apertum eſt, quod quamdiu *res mota*, *non eſt ipſe Motus*, illa in ordine ad hunc, *abſolutè paſſiva* ſit: ita ejusdem ſimpliciſſima veritatis atque evidentiæ eſt, ne ullo quidem conceptu aut reſpectu, quantumlibet etiam abſtracto & pure mentali (modo non in facto fictitio) ullam hic eſſe rationem diverſitatis *ſubſiſtentiæ* iſtius Motus ſive Actus, an ille vel perpetuo & inſeparabiliter rei illi *inſit*; vel indeſinenter atque jugiter eidem *adſit*: modo verum atque certum ſit, quod *perpetuus* ſit.

§. VI.

Quod autem perpetuus ſit Motus in hoc univerſo, cogno-

gnoſcimus utique ipſa Experientia *à poſteriori*. Conſideratione autem verè rationali, habitus rerum uti ſunt per Motum, manifeſtisſimè etiam intelligimus necesſitatem *à priori*, quod, quamdiu utiq; hæc Univerſi, compages rerum atque connexio actionum, manere debet, tamdiù etiam Motus ille indeſinens durare atque continuari debeat.

§. VII.

Interim, quando utique verâ atque ſolidâ penſitatione ponderamus, quod eſſentiæ ſingularum rerum, revera dependeant ab *ordine, ſucceſſu, gradu, directione* Motus, conſtanter tali, *uniformi*; facile utique inde colligere licet, quod, uti omnia hæc ab illa *inſtitutione Motus à priori*, tali & non alia, pendeant: ita ſi ille ordo atque ſucceſſus Motuum à priori mutaretur, ſtatim mutata foret etiam eſſentia rerum, in tali Motu fundata.

§. VIII.

Sicut autem non ſolum ut Chriſtiani credimus ſed etiam homines ſimpliciter ex hoc ipſo fundamento *Motus*, ut *unius*, comprehendimus, non ſolum, quod, ut *unius rei una* ſufficit cauſa; & unius certæ *deſtinationis*, una etiam certa eſſe poteſt *intentio*, quæ illam deſtinationem formet ſeu velit; ita *unum* illud *unius actus* principium, quod omnia conſervet, & ſingula ita, uti ſunt ſingula, conſervet, non ſolum *unum* eſſe ens, ſed etiam *tale*, quale abſolutus ſimplex humanus conceptus pro *primo*, & *ſummo*, & verè *unicè activo*, agnoſcens, *Divinitatis* nomine appellare, & eo conceptu complecti ſolet.

§. IX.

Hoc, inquam, cum tanto magis poſitivè nobis revelatum habeamus Chriſtiani, quod Deus Benedictus, non ſolum inſtituerit hæc omnia, ita uti ſunt, ſed conſervet etiam, & poſſit atque velit etiam aliquando mutare: ut ſicut ante hoc initium, hæc talia minime fuerunt, ita quando ipſi placuerit, hæc tali a eſſe etiam ceſſatura ſint: ita à Chriſtiano conceptu nihil alienum fore confido, ſtatuere, quod etiam *Modus conſervandi*, ſit

idem

idem qui erat conſtituendi: imò verò nihil aliud, niſi ejusdem conſtans & perpetua *continuatio*. Unde quidem, ſicuti in ipſo opere conſtitutionis, nempe *creationis & productionis* harum rerum, diſerte nominatur *Spiritus Dei*, qui ſuper aquis velut incedens, has foverit, imò ad diſtributionem illarum, adeoque productionem ex illis, cum illis, atque per illas, operatus ſit: ita illum eundem etiam eſſe *conſervationis*, perpetuo uniformis, (adeoque *unitati Divinitatis* conformis) Architectum, ab analogiâ fidei Chriſtianæ, æquè atque rationis ſanæ, nihil abludere exiſtimo.

§. X.

Sicut autem res ipſa à poſteriori planum facit, quod *aqua* exquiſito ſenſu ſumpta, illud nempe *fluidum*, quod hoc nomine tàm in ſacris quam profanis litteris & idiomatibus venit, nulla ſit, niſi perconcurſum *Motus ignei ſeu calidi*; & inſuper vel leviter animadverſo ordine dependentiæ ſyſtematis Motuum, tam *Motus caloris*, quam proxima ad ſenſum *materia*, in qua ſeſe veluti primo & immediate ſiſtere ſolet, faciliorum, ſenſibiliorum atque certiorum reliquorum *Motuum* ſit fons atque fomes: *aſtralium* autem Motuum, & inter hos evidentiſſime *Solis*, univerſalis quædam efficacia, ad *calorem*, ut *unum*, & in genere, in omnes res illi ſuſcipiendo habiles, extendendum atque *diffundendum*: nihilo alienus fuerit etiam concipere, quod actio illius ſpiritus Conſervatoris, in res inprimis *Geocoſmi* ejusque ſeorſim totius ſyſtematis, *continuatio* præſertim *Motus caloris* generalis exiſtat.

§. XI.

Sicut autem verus nervus & ut vulgo loquuntur formalis ratio diverſitatis *Motuum*, eſt ille *Motus directionis atque ordinis*; ſpecialiſſimæ vero differentiæ forma, diverſitas *graduum*, (v. gr. teporis, & flammei ignei fervoris;) Ita conſideratu quam maxime dignum eſt, poſſe hujusmodi ſpecialiſſimas differentias, in quolibet ſubiecto etiam ſupremi gradus *capaci*, tamen ita variari, ut non neceſſarió in *ſupremo gradu*,

ſed

ſed in quolibet etiam *intermedio*, usque ad *infimam*, in illo eodem fieri & vigere poſſint.

§. XII.

Huic quidem fundamento circà numeroſa genera motuum generaliorum ſyſtematis hujus mundani, varia inſiſtunt peculeria effectuum ſpecimina; interim noſtri inſtituti ratio illa prolixiùs proſequi minimè permittit, ſed eſt potius huic conſentaneum, nihil niſi unam illam ſpeciem hic attendere, quæ ſe ſe offert in *Humana Oeconomia*, univerſali illi ita analoga, ut, ſicut in illa, non ſolum in genere univerſaliſſimo per *Motum*, ſed etiam in ſubalterno, per Motum *calorificum*, generalior quidam actus præſtatur, qui numeroſiſſimorum inferiorum ſpecialiorum veluti fons & origo apparet: ita etiam in *Corpore humano*, ab agente & vitæ & omnium reliquarum actionum præſide, quæ ad ſpeciei hujus indolem pertinent, ſimiles directiones æque, atque primæ inſtitutiones *Motus*, contingere & adminiſtrari obſervantur, quæ non ſolum Motum in genere, ſed inprimis *calorificum ſeu calidum* in ſuprema ſubalterna ſpecie, tanquam reliquarum inferiorum ſpecierum veluti anteſignanum, celebrent atque confirment.

§. XIII.

Sicut autem non ſine ratione monuimus, quod etiam *materia igneo* præcipue, ſeu *calido Motui* dicata, univerſaliter ubilibet diſſeminata, eo promptiorem atque largiorem aditum huic generi Motus præbeat, per totum *univerſi* latifundium: Ita valet hoc etiam in *corpore humano*, utpote in quo materia illa *ſulphurea*, *calido* inprimis Motui magis directe apta, non ſolum per univerſam totius corporis *mixtionem* diſtribuitur, ſed ſpecialiſſimè in *Sanguine* abundans, hunc præ omnibus aliis corporis partibus, motui huic aptiorem atque magis idoneum reddit.

§. XIV.

Sicut autem hoc ipſo, *Sanguis* etiam primarium *inſtru-*

mentum conſtituit, cujus medio ſubtiliſſimus ille *calidus Motus* per totum corporis ſyſtema diffundatur; cujus beneficio non ſolum *ſuperiores gradus fluiditatis*, ſed etiam *inferiores*, *mollities*, *flexilitas*, ad totius neceſſarios uſus ſuſtentantur: ita requiritur omnino, ut hoc *univerſalius inſtrumentum*, ſanguis, in illa ſua conſtitutione exquiſitè ſit atque maneat, qua ad hanc ſui inſtrumentalem energiam idoneus eſſe poteſt, eaque adeo omni modo pollere atque potiri debet.

§. XV.

Eſt autem ejus hæc conſtitutio, ſecundum quam ſuis uſibus ita rectè convenit atque quadrat, *craſis* inprimis ſufficienter *ſulphurea*, id eſt admixtio ſubſtantiæ caloris recipiendi capacis, in *quantitate* ſufficiente, & *qualitate* ſatis ſincerâ & ingenuâ. Hæc enim ipſi magis immediate conciliat non ſolum *fluxilitatis* in genere, ſed etiam *tenuitatis* in ſpecie, *incaleſcentiæ* autem ſpecialiſſimè, tam in ſe ipſo inhærentem actum & præſentiam: quam *per illum*, etiam in alia ſubjecta *emanandi* atque *communicandi* energiam.

§. XV.

Quemadmodum ergo etiam ita à *priori* hæc talis conſtitutio ſanguinis, uſibus ejus maximè convenit; ita viſitur etiam ipſa experientia à poſteriori, quod ubi etiam ad ſenſum ſanguis hujus commatis præſtò eſt, ibi quoque bona ſit, & non ſolum *alacris*, ſed etiam *conſtans*, totius corporis, *partium* æque atque *actionum*, libertas atque debita *integritas*.

§. XVII.

Ubi vero vel *quantitatis* illius, vel *ſinceritatis* defectus; aut *Motus* ipſius vitium invaleſcit, ibi non ipſi ſolum *ſanguini*, ſed etiam per illum reliquo *corpori*, variæ labes conciliantur.

§. XVIII.

Habemus hujus rei evidentia ſpecimina in ita dictis *Temperamentis*, ſeu aliorum appellatione *Complexionibus*. Uti optima ſanguinis temperies, dicitur hoc ipſo intuitu *Sanguinea* quod *ſanguini* κατ' ἐξοχὴν dicto, optimo atque rectiſſimè conſti-

ſtituto, competat atque conveniat. Unde etiam, qui talem habent & illibatam ſervant ſanguinis *temperiem*, rectiſſimè utique atque conſtantiſſimè tantiſper ſani ſunt atque manent: dummodo etiam rerum non naturalium, reliquarum quidem ſimpliciorem curam habeant, *motum* autem & *quietem*, *ſomnum* & *vigilias*, & ſuper omnia *animi pathemata*, ſolertius in poteſtate habeant, & neque committendo, neque omittendo peccare, non ſuſquè deque habeant.

§. XIX.

Cholerica temperies, in qua *ſulphurea* ſubſtantia vel *quantitate* luxuriat, vel potius *qualitate* non exquiſite ſincera conſtat, duobus præjudiciis exponit Corporis Oeconomiam. Primò, dum vegetiores *Motus* partim admittens, partim poſtulans, univerſam *menſuram*, & conſequenter *periodum* movendi in œconomia humana, velut anticipando hac ratione conſumi facit: partim adhuc auctiori, adeoque nimiæ inſinuationi & adhæſioni, ſubſtantiæ, genere quidem *ſimilis*, ſed ſpecie *acrioris*, manum quaſi porrigit, & ad adhæreſcendum per genericam ſimilitudinem ſubſtantiæ, tanquam latus nudum expoſitum habet. Ne quid prolixius dicam de illa etiam *animi pathetica* diſpoſitione atque intentione *præfervida*, quæ partim a mechanica mobilitate hujusmodi temperiei ſubnaſcitur, partim ab organica neceſſitate intentius atque intenſius *excernendi*, perpetua provocatione ſeu neceſſitate aſſueſcit.

§. XX.

Enimvero utrisque his modis, non ſolum veluti directè & uniformiter alacritas & *energia* motuum, nimis prodigè conſtanter adhibita, tantò citius *periodum* univerſam abſolvit: ſed etiam illa ipſi *animo* hinc velut innaſcens nimia promptitudo agendi, hunc diſponit, ut occurrentibus *moralibus* incitamentis, tanto protervius, & præcipitanter contrà inſultans, non ſolum horum reſpectuum anomias facile committat, ſed patheticis ejusmodi nimiis commotionibus, etiam directam

vitalis Oeconomiæ tranquillitatem & æqualitatem turbando etiam propiores atque magis immediatas noxas corpori hinc inferat.

§. XXI.

A quibus quidem circumſtantiis fluere videtur, quod vix quisquam *Cholericus* exquiſitiùs talis, magnam ætatis extenſionem ſeu inſignem *longævitatem* aſſequatur: quisquis autem horum, etiam *animi-pathematibus* immoderatiùs indulget, minimè *ſanam atque tranquillam* vitam obtineat: ſed & variis, & promptis *Motibus anomalis*, ſpaſticis & excuſſorijs, & *doloribus* ac inquietudinibus turbulentam.

§. XXII.

Melancholicum temperamentum ſangvinis, conſiſtit non tam æquè abſolutè in *mixtionis* ejusdem intimæ penitiore inæqualitate, ſed magis in *conſiſtentiæ* atque *coagitationis* diluentium humorum aliquo defectu: unde ipſi *ſpisſitudo* juſto major atque *denſatio*, ſtrictè dictæ *ſangvineæ*, rubicundæ, coagulaſcentis portionis impendet. Interim quando hæc conſtitutio, manentibus iisdem cauſis, nimio longiùs durat, abit etiam ſenſim hæc ipſa *denſatio* in firmiorem *habitum*.

§. XXIII.

Inde ferè etiam eſt, quod Melancholicis ſimpliciter talibus, nempe nullam adhuc nimis excedentem, adeoque morbidam *intemperiem* melancholicam expertis, familiares ſunt temperiei ſuæ *ſpisſioris* in teneriorem, ſi non conſtantes, tamen vagæ, reverſiones, ut illi inde *in tempus*, non aliter quam ſangvinea temperie affecti, ad omnia *alacres* & *æquiſſimi animi*, nec non corporis Motuum maxime *alacrium* compotes, obſerventur.

§. XXIV.

Contrario vero modo ſe habet *phlegmatica* intemperies imo ipſum adhuc tolerabilius & actiones minùs evidenter alterans, phlegmaticum *temperamentum*. Sicut enim *Mixtio* intimior ſangvinis, vere atque teneriter *ſulphurea*, à nimia *humidi-*

miditate & *à priori* præoccupatur, quo minus commode coire poſſit; & *à poſteriori*, diſſolutioni ejus promptiori nimium quam apta & efficax eſt: quod vera mechanica *fermentationis*, etiam in craſſos ſenſus ingerit: ita neque tam facilè ſuppletur, illud quod jam ita *perperam mixto* ſangvini deeſt: neque novi ſangvinis talis debitè mixti *proventus*, æquè prompte, ſed potius nimio difficilius impetratur. Tantò magis, cum ille humiditatis *vappidæ* exceſſus, non jam in ſola Maſſa humorum, atque ipſis adeo vaſis ſubſiſtat, ut inde per evacuationes commode detrahi poſſit, quo novi ſangvinis proventui nullam amplius moram faciat: Sed ipſis usque intimis molliorum ſolidarum partium *textis imbibita* humiditas, & has *atoniæ* certè ſenſibili labefactans, ſufficientem illam energiam, ad *calorem* ſangvinis alias concurrentem, & conſequenter caloris, & inſignem, & maxime neceſſariam efficaciam, ad ipſam mixtionem ſangvinis *ſulphuream*, ita graviter temerat, præoccupat, imo præfocat. Unde etiam *qui huic temperamento ſemel ſubjecti atque penitus obnoxii ſunt, vix unquam amplius illud eluctantur.*

§. XXV.

Sicut autem *ſangvinis temperamentorum*, una cum habitus corporis *textura* illis conſpirante, (de qua prolixius egit D. D. Præſes peculiari diſputat: *de Temperamentis*) ingens eſt efficacia, quæ hominem tàm ad varios morbos ita *diſponat*, quàm undecunque ipſi conciliatos, *foveat*, *augeat*, variè *difformet*, ita non ſolum dignisſima eſt illorum conſideratio, pro *pathologia medica*: ſed tanto magis omnino neceſſaria, pro *Therapia*.

§. XXVI.

Quid enim manifeſtius eſſe poteſt, illis nempe, qui utique aliqua judicii *ἀκριβείᾳ* inſtructi ſunt, quàm illud, quod *cholerici*, tum ad *fervidiores* in ipſo ſangvine labes contrahendas aptiores exiſtant; tum ab excremento *bilioſo*, & *multo*, & *acri*, ipſis familiari, varia gravia pathemata incurrere, & promptiùs

& frequentius ſoleant: & *Motuum* etiam jam corporeorum *ſpaſticorum*, jam *translatoriorum* jam *excuſſoriorum* tumultibus; *animi* verò *commotionum* variarum, gravibus *ataxiis* atque perturbationibus, mirifice obnoxii.

§. XXVII.

Unde talibus febres *acutæ*, *ardentes*, *cholericæ*, *inflammatoriæ*, *eryſipelata*, *inflammationes* externæ *ferociores* & *præcipites*, *anginæ* repentinæ, acutiores *cephalalgiæ*, *hemicraniæ*, *ophthalmiæ*, *odontalgiæ*, *otalgiæ* & *parotides*, acerbiores & *efferæ tuſſes*, *peripnevmoniæ* familiariores, *hæmorrhagiæ* undecunque tandem *immoderatiores*, *vomitus* promptiores, *colicæ* & frequentiores & acerbiores, *diarrhœæ bilioſæ*, *choleriodes*, *Icteri*, *indurationes hepatis* retorridæ, ardores *urinæ*, *nephritides*, *calculi* cum ferocioribus doloribus, *phlogoſes* corporis, *ſcabies ſiccæ*, & ardentes, *ulcerationes* ſerpiginoſæ, *ichoroſæ*, *ſanioſæ*, *erodentes*: motus *ſpaſtici*, *convulſivi*, *vagi*; *arthritici*, *rheumatici*, *acrium* humorum *ſtato tempore*, aut plus minus, translatorii atque congeſtorii, *iſchiades*, *chiragræ*, *gonagræ*, *podagræ*, undique *acutiores*, *inconſtantiores*, *vagabundæ*: *contracturæ*. *Animi* motus *iracundi*, *efferi*, *inquietudines*, *agrypniæ*, *ſomni turbulenti* & *inſomniis* laborioſi, *mentis perturbationes*, *phrenitides*, *maniæ*, *apoplexiæ ſanguineæ*, affectus *ſuffocativi ſpaſtici*: imò poſt totas *ætatum periodos* acerbæ *palindromes*, prægreſſo aliquo ætatis gradu factarum graviorum commotionum, peculiaris conſiderationis, in vera fundamentali pathologia, familiariter eveniunt.

§. XXVIII.

Melancholicis, propter ingentem *attentiſſimam & vigilantiſſimam*, tam in *perpendendo* quam *agendo aſſiduitatem* & *æqualitatem*, eximii quidem atque profundius innidulantes affectus, quaſi *ſponte*, non facilè atque temerè obrepunt, ſed vix aliter niſi *impetu*, prævalent. Interim cum utique prædiſpoſita ſit hujus indolis temperies, ut adverſus varias tales *externas* læſiones, non ſatis in poteſtate ipſius naturæ eſſe appareat, oriuntur inde ita diſpoſitis perpetuæ illa *meticuloſitater.*

tes, faciles atque promptæ *trepidationes*, *pavores*, *alterationes* faciles non ſolum *aſpectus* ſed etiam *habitus* corporis, & inde tum *palloris* & *ruboris*, tum *frigoris* & *exæſtuationis*, circa tales occaſiones, promptæ *viciſſitudines*: *palpitationes cordis*, *tremebundi frigidi* affectus, *ſomni anxii*, *inſomnia terriculamentis* pavida: *taciturnitas*, & *meticuloſitas*, *vitalibus* etiam actionibus promptiſſime *palpitabundas* ataxias conciliantes & communicantes. Sicubi verò ad *intemperiem* usque hæc acrius increbeſcunt, ibi utique non ſolùm hactenus dicta inſoleſcunt, ſed eveniunt etiam revera jam magis *corporea* horum generum incommoda; primum omnium ferè per *Venam portæ*, & *viſcera* ipſi connexa, *anguſtiæ*, *anxietates*, *tenſiones*: mox etiam affectus *conſtrictorii*, *ſpaſtici*: ex hiſce, *toni* per *utrumque extremum* diſtenſionis & conſtrictionis fluctuationibus, *atoniæ* familiariores, & inde *flatulentiæ*, ſed cum acerbæ ſubinde repentinæ *conſtrictionis* occurſibus intercedentibus: unde *colici* & aliàs *torminoſi flatulento ſpaſtici* affectus, *fæmineo* inprimis ſexui tanto familiariores, quanto magis hæ, inprimis ex *educationis* & occupationis præpoſterâ hinc inde ratione, hujusmodi *ſpiſſæ* ſanguinis *dyſcraſiæ*, præ virili, magis familiariter expoſitæ ſunt. His inprimis tantò magis *Vomitus ſanguinei*, ſicuti omnibus atque ſingulis hujus claſſis ſubjectis, *molimina ventilationum per hæmorrhagias*, inde pullulant: quemadmodum *virili* ſexui, & *ætati* inprimis conſiſtenti, hinc *hæmorrhoidales motus* æque atque *exitus* faciliùs obtingunt. De reliquo verò graviori hujusmodi malo temperamento, *infarctus*, *obſtipationes ſcirrhoſitates* ſanguineæ, & inde corruptiones *cancroſæ*, aut alias *putrilaginoſæ*, affectus *ſpaſtici*, *anxii*, *contumaces* atque *diuturni*, *languores*, *exareſcentiæ*, *maraſmi*: *lividæ* ſtaſes atque maculæ, *rigores* partium, *ſiccitates*, *pallores* ob fluxilitatis floridæ defectum: *mentis ideæ* inſuperabilis *impedimenti*, *inſidiarum* ad *incarcerationes* & *capitales* exitus tendentium, *inconſolabiles*, *deſperabundæ*. Interim notatu omninò dignum eſt, quod hujus inprimis claſſis homines, niſi *intemperies*, vel *impetu*, vel longis ſucceſſivis incre-

crementis, prorſus enormes progreſſus aſſecuta ſit, quamlibet ſub perpetuis ſuis, *diffidendi* atque de ſanitate ſua *dubitandi*, imò *metuendi* fluctuationibus, ferè præ omnibus reliquis, *longiùs vitæ ſuæ ſpatium* communiter extendant.

§. XXIX.

Phlegmatici ut in genere propter nimiam *humiditatem*, in proportione *ſulphureæ* ſubſtantiæ nimiò præponderantem, atque inde *vappidæ* potius *mucidæ*, quam *acri ſubtili* corruptioni idoneam, *violentioribus* & citò corrumpentibus affectibus minùs expoſiti ſunt; ita etiam ab *acutis* tam *doloribus* & *ardoribus*, quam *motuum* inſultibus atque periodis, alieni ſunt. Interim ejusmodi maximè affectibus obnoxii, qui à *ſpiſſitudine ſeroſorum* inprimis humorum ſubnaſcuntur; quales ſunt, utiliter quidem, modo rectè ſuccedant, promptæ etiam *ſpontaneæ diarrhœa*: minùs commodè, neque tamen adhuc merè præter naturam, *tuſſes humidæ*: omninò vero p. n. *aſthma humidum* in pectore, in capite *catarrhi gravedinoſi*, quando etiam jam in *coryzam* erumpunt, nihil, niſi leviter ad tempus ſublevantes: variæ circà caput & collum, jam *ſtaſes* ulceroſæ, jam *eroſiones*, imò etiam circa fauces tonſillarum *mucoſæ* intumeſcentiæ, *branchus*, *raucedines*: aliquando ſic ſatis utiliter *vomitus* mucoſi, inutiliùs *conatus* vacui; peſſimè λύσες *ventriculi*, in annoſioribus *lethales*, jam *catarrhi ſuffocativi*, jam *apoplexiæ* opinionem facientes: *flatulentiæ*, *apepſiæ*, *lienteriæ* & *cœliacæ*, *teneſmi*, *procidentiæ ani*; varia circa *urinam* atque *vias* urinarias vitia, non facilè tamen neque *calculus*, neque tanto minus *nephritis*: *laſſitudines* variæ, imò movendi *impotentiæ*, tandem ..., inprimis per ætatem, *paralytodes*: *ſomnolentiæ*, *gravitates* atque *torpores* capitis, *memoriæ* vitia, *auditus* læſiones, *viſus* hebetudines, *vertigines* familiariores, ſed *tenebricoſiores*; tandem *paralyſes*, *apoplexia*: in habitu corporis *pallores*, *laxitates*, *inflationes*, jam denſæ, jam pendulæ, *cachexiæ*, *œdemata*, *hydropes*, *ulcerationes manantes* &c. De reliquo verò tam in his *ſubjectis*, quam his *caſibus*, v. gr. *hydrope*, prudentiores facilè cavebunt,

bunt, ne in eosdem cum aliis ſcopulos *ὑςέρȣ πρωτέρȣ* offendant, pro *cauſa* aſſumendo, quod *productum* erat, nempe reperiundam in hydropicis diſſectis *bilis dyſcraſiam*: cum *phyſiologiæ ſanguinis atque ſeri* veræ periti, facile ſciant, è tali univerſa maſſa, alia *apoſpaſmata* ne expectari quidem poſſe, nedum fieri.

§. XXX.

Enim vero quod omnibus hiſce dyſcraſiis corrigendis, proportio verè *ſanguineæ* temperiei, juſtæ *συμμετρίας*, veluti fundamentum ſubſternat, luculentum eſt iis, qui & *phyſiologiæ* humorum, & *Zymotechniæ* fundamenta, non ſolum, ſed veros etiam nexus intelligunt. Interim minimè ignorare convenit, quod etiam *optimo ſanguini*, & inde conflato temperamento, *mors directè* immineat, quoties per occaſiones externas, liber ejus *circuitus* alicubi penitus intercipitur ſeu *ſiſtitur*: vel etiam interna ratione, nimia quantitatis abundantiâ, ſenſim fit, ut magis magisque præpedito *ſucceſſu*, ſenſim labem contrahat etiam *craſis* ipſa: adeoque levioribus poſthac externis cauſis aditus patefiat, ut *motui* ſanguinis ad minimum hinc inde detrahendo, *ſimpliciſſimis*, ſed eo ipſo *gravioribus corruptelis* exponatur. *Optimi* enim *ſanguinis* craſis, *directè* expoſita eſt *putredini*, quam tantò certius ſubit, quantò ſincerior eſt. Unde quidem etiam *ſanguinei*, promptiſſimis *inflammationibus* atque *ſuppurationibus* ſubjacent; quando verò hæ malè ſuccedunt, *gangrænæ* atque *ſphacelo*: & hoc *particulariter*; univerſalius *febribus acutis*, *inflammatoriis*, *ſpaſmis*, *convulſionibus*, *apoplexiis*, *vertigini*, *aurium tinnitui*, *anginæ*. *Simpliciſſimè* vero, variis *hæmorrhagiis*, & illas jam *antecedentibus*, jam *ſtipantibus*, pathematibus.

§. XXXI.

Sicut autem ſola *temperies* ſanguinis, uti diximus, adeo non ſufficit ad ſimilem ejusdem perennem *conſervationem*, & intemeratam *durationem*, atque *corruptionis* omnis excluſionem, ut potius plane contra, *optimus* ſanguis, ex intima ſui

 mix-

mixtione, *corruptioni* exquiſitiſſimè expoſitus, & obnoxius ſit: dirigendus proinde eſt animus ad illam potius *energiam*, quæ planè aliâ ratione, *conſervationem* hanc, *per ablationem* perpetuam omnium nocumentorum intermediorum præoccupare, & ne in hunc effectum tranſeant, impedire poteſt. Quæ nempè nihil aliud eſt, niſi aſſiduus, imo *indeſinens motus progreſſivus* remote, *ſecretorius*, autem & *excretorius*, *ultimò*, *proximè* & *immediatè*.

§. XXXII.

Hunc *Motum* videmus equidem in corpore, etiam *nobis non cogitantibus* perpetrari: imò nudâ, nempe *frivolâ* & contra veræ necesſitatis *nexus* directe ſuſcepta *voluntate*, non temerè cohiberi, imò ne quidem eximiè alterari poſſe: Interim, ſicubi *voluntas* repentinam quandam in *intentione* ſua mutationem, fixam & intimam capesſit, ſuccedit utique ſtatim & immediate *Motuum* horum *variatio*, non ſolum in genere, ſed inprimis *ſpecialisſimè* ſecundum illam *intentionem*, quàm Anima eo tempore habuit circà *conceptus nudi intellectus*, communiter etiam *incompleti*, nempe non ſatis, ſed obiter tantum ratiocinantis.

§. XXXIII.

Manifeſtisſtmum hoc eſt in *Ira*, qua momentaneè Motuum etiam *vitalium*, & inter hos primi atque ſupremi, *circulationis*, nempè *Pulsûs*, Metrum ſeu Menſura, præſentisſimè mutatur: majore autem propemodum, æquè ac adhuc præſentiore efficacia in *Terrore*; à quo fortiore etiam non rarò ſimul & ſemel *totus* hic Motus *opprimitur*: ſemper autem *trepidè* atque *anxiè* palpitando exagitatur. *Nauſeæ* vero præfiguratione, etiam illius partis & actionis *vitalis*, circà cujus objectum *nauſea* errat, nempe *ventriculi*, motus, repentino etiam impetu tam potenter alteratur, imo aliter inſtituitur, ut inde energia animæ in hos motus exquiſita *à priori*, manifeſtò diluceſcat,

§. XXXIV.

Quomodo vero etiam *reciprocè*, dum his negotiis utique per-

perpetuò invigilat anima, ab illarum diverſa *mechanica ratione*, imo potius neceſſitate, à *proportione Motuum*, ad proportiones ſuarum *moralium* etiam *intentionum*, generalem *æquationem* inſtituat, latiùs monſtratum eſt à D.D. Præſide, allegatæ Diſſertat. *de Temperamentis* cap. X. ubi de *ratione Temperamentorum phyſiognomica*, demonſtratur, quod *proportio corporeo-mechanicorum* neceſſariorum *motuum*, ſenſim transferatur ad *ideam* omnium in genere, adeoque etiam *rationalium actionum*; quodque adeo *mores animi* ſequantur *temperamentum corporis*: id eſt, quod *proportio motuum vitalium unam eandemque normam, menſuram atque typum*, *exquiſitè ſequatur atque ſervet*. Licet autem hæc res non poſtremæ ſit conſiderationis Medicæ etiam, tam in *Diagnoſi* quam *Prognoſi*; tamen quia *Praxi* ferè parum ſubjacet, non placet jam in illa prolixiùs occupari.

§. XXXV.

Sufficit autem nobis, imò omnino conſiderationis noſtræ præcipuum eſt fundamentum, quod Sangvis *materialiter* quidem omninò ita conſtitutus eſſe debeat, ut ad *Motum* expeditum non ſolum promptus maneat, ſed etiam ut non facile ita alterari poſſit, ut motui huic minùs recte obſequatur: ipſe autem etiam, tum *typus* univerſus atque rythmus Motus ſangvinis, tum *conſtans* hujus *ordinatus* atque *tranquillus ſucceſſus*, alacriter atque firmiter, ſine *intermisſione*, *remisſione & alteratione*, perpetuo jugiter perennet: ut neque juſto *debilius*, nec *importunius*, nec *inordinate*, neque *trepide & fluctuanter*, verbo neque *modis* alienis, neque *locis*, contingat aut agitetur.

§. XXXVI.

Has intentiones ſi Medicus non ſolum perpetuò ante oculos habet, ſed etiam tam *methodi*, quam *medicamenti*, quibus illas verè in actum deducere, integrum erit, peritus atque compos exiſtit, tunc reverà exquiſitisſimè inſtructus eſt omnibus, quæ non ſolum ad ipſum pertinent, ſed usquam utique circa vitale negotium in ipſius poteſtatem cadunt.

§. XXXVII.

Quemadmodum autem *triplex* eſt, curæ circà ſanitatem

gerendæ intentio, nempè vel *præſervare*, ſive ſano ſenſu *conſervare*; vel læſiones in facto, *oppugnare* atque *expellere*: vel *damna* jam illata reparare; ita habet omninò Medicus, quod etiam in hoc genere & ſciat rectè agere, & cordi omninò habeat exequi atque in effectum deducere.

§. XXXIIX.

Satisfacit autem his intentionibus, ſive *poſitivè*, quæ è re ſunt, ſubminiſtrando, & actus quosdam excitando: vel *privative*, auferendo, ſubtrahendo, impediendo, diſſvadendo.

§. XXXIX.

Directè poſitivè, oppido parum poteſt Medicus, cum & *mixtionis* & *diſtributionis*, & tempeſtivæ atque exquiſitæ *ſecretionis* & *excretionis* negotium, non ſolùm *primò & immediatè* à principio œconomiæ humanæ *activo*, ordinariè pendeat; ſed etiam nunquam ſine illius velut ordinario, ſanè primariò *concurſu* fieri valeat. Unde quidem Medicus in hoc genere nihil magis poteſt, quam ut vel alicubi directè *in materias* aliquid agat; vel alibi *privativas* ſuas operationes, nempè *impedimentorum* (v. gr. *in viis*) remotiones, poſitivè-activis Naturæ operationibus ita ſuccenturiet, ut illa harum ita recte compos facta, tandem commode iterum exequatur quod debet, adeoque œconomiæ univerſa libertas ſibi undique reſtituatur. Directa vero illa demum vere eſt *poſitiva* methodus, quando Naturam, immediatè magis in ſua *activitate* juvare, excitare, & ut vulgo vocant *roborare* poteſt, ut & *alacritate* neceſſaria, & ſimul etiam *tranquillitate* juſta atque debita, negotia ſua recte atque ordine proſequatur & exſequatur; adeoque *utilia* colligat atque retineat, *inutilia*, tantò magis autem *noxia*, ſegreget & expellat.

§. XL.

Eſt quidem aliqua adhuc *poſitiva* conſultatio, nempe *ordinatio* talium circa res *non naturales* regularum quibus actus corporis conſervatorii, in ſuam debitam ſeriem decenter diſtribuantur, adeoque & materiis & motionibus, recte ſatis

fiat.

fiat. Cum autem reverà quàm pauciſſima ſint, quæ Naturæ in hoc genere abundè ſatisfaciant, & maxima occupatio potius verſetur in *diſſvaſione* illarum rerum, quæ in cenſum ſimpliciorem nonnaturalium perperam intruduntur, revera in hoc etiam genere plus *ſubtrahendo*, quàm exhibendo, facere Medico eſt integrum.

§. XLI.

Nempe jam alibi, inprimis in Diſſert. *de Alterantibus*, prolixiùs monitum, imo monſtratum eſt à DD. Præſide, non ſolum quantò ſimplicius ſit, potius *evacuare*, expellere res inconvenientes aut noxias, quàm operoſe *corrigere*, & in *melius*, imò in optimum, convertere velle: ſed etiam quantò alienius hoc ultimum habendum ſit, & à ratione ipſa abſonum, cum tàm locuples utique præſto ſit farrago, unde ſimpliciter *bona* materia corpori ſuppeditari poſſit, ut vel ridiculum ſit, de *malis in bona* convertendis cogitare, nedum laborare. Quin, ſuccedit etiam longè facilius hæc ipſa, quæ *mala* ſunt potius *ejiciendi* intentio, cum in illa & ſponte occupata ſit tota Oeconomiæ humanæ σύςασις, & cum dextra Medici *directione*, obſequentisſime conſpiret.

§. XLII.

Sicut autem citato loco rectè utique ac decenter monſtratum eſt, quomodo *Alterationes*, quæ utique in Medicinæ poteſtate ſunt, inprimis ad *præparationem* pro talibus *expulſionibus*, adeoque ad harum ipſarum facilitationem pertineant: ita habet omnino Medicus quod ad has intentiones debite exequendas non magis *perite* atque *prudenter*, quàm *ſollicite & vigilanter* adminiſtret.

§. XLIII.

Ubi quidem primo ſtatim loco, pro conſervanda ſanguinis, ubi etiam præſtò eſt, *optima temperie*, non ſolum neceſſarium eſt moderatum *regimen proportionis*, inter quantitatem ciborum & potulentorum; & aſſumptorum horum atque *motus aut quietis*: ſed cum in his rebus quam maxime fami-

 lia-

liaris, imò veluti ſolennis eſſe ſoleat ataxia, dirigenda omni modo eſt intentio, etiam ad poſitivas veluti *praeoccupationes* nimiæ coacervationis & abundantiæ quantitatis, quantumcunque etiam *laudabilis*, ſanguinis. Quæ ipſa abundantia ſicuti non aliter, quam per negligentiam atque faſtidium debiti convenientis, imo vero ſufficientis alacrioris *Motus corporis*, primò ſubnaſcitur; ita cum tanto minùs ſit ſpei, illam per ejusdem adhuc multò majorem *uſum* neceſſarium iterum imminutum iri, alia vero ulterior imminutionis abſolutè nulla ſit ſpes, quàm in *detractione alimenti* ipſius à priori (quam in ejusmodi indole expectare, aut illi injungere, adhuc ſit ab ulla ſpe boni obſequii alienius) nihil utique non ſaltem melius, ſed omnino nihil aliud, reſtat, de quo quicquam boni exſpectare ſit integrum, niſi nuda & ſimplex immediata abundantiæ *imminutio per ſinceras emiſſiones*, in Medici imprimis poteſtate ſita.

§. XLIV.

Tantò prudentius autem atque peritius gerere ſeſe debet Medicus, in agnoſcendis, & rectè adminiſtrandis illis abundantis ſanguinis, quantumvis boni, exonerationibus, quas ipſa Natura, vegeta, alacrior, ſuis rebus intenta, rectè proſpiciens, imò illarum ſolerter ſatagens, ſponte quadam ſuâ perpetrat. Loquor de *Hæmorrhagiis ſpontaneis*. Ubi profectò habet prudenti peritiæ, & veræ rationali Experientiæ invigilans Medicus, quod non magis recte perpendat, ſed etiam dextrè decernat, quid circa ejusmodi cœpta Naturæ indulgere conveniat? quid illam directè impedire atque cohibere, non conveniat imò noceat? quomodo illud, quod ipſa quidem, quantum *ad factum* ipſum, recte & optime ſuſcepit, quantum autem *ad modum* agendi, *laborioſè*, *minus moderatè*, aut minus *ſufficienter*, facillime omnium autem, & fere familiariſſimè, minus *ordinate* agitat, aut, monente Experientia, ulteriùs ita incommodiùs agitatura atque ſervatura eſt, *arte vicaria*, *tempeſtivè*, *ordinate*, *moderate*, *facile*, ita præoccupari non ſolum poſſit: ſed majoris *ſecuritatis* imò *certitudinis* ergo,

et-

etiam *debeat*; ut rei undique ſatisfaciendo, ipſius etiam Naturæ intentioni, imò nimium quam frequenter jam planè ſollicitudini, ſatisfiat: adeoque non ſolum illi omnia plana, facilia, atque expedita præſtentur atque ſerventur: ſed etiam ipſa Natura hac ratione tranquilla, placida & bene compoſita conſervetur, & ab omnibus perturbationibus libera ac immunis.

§. LXV.

Poſſet quis putare, tantò plus laboris fore, in aliis jam magis intemperatis conſtitutionibus; ſed revera res non ita æquè abſolutè ita ſeſe habet. Sicut enim in illis tanto manifeſtiùs dilucefcere, & ita etiam facilius agnoſci poteſt, ut in his *remotionibus & evacuationibus*, nihilò plus operis obtingat: ita certe haut ita multo operoſius etiam procedit negotium, ſi modo prudenter omnia inſtituantur. Nihilo inquam plus, quod agat, habet Medicus in quibuscunque illis jam magis intemperatis conſtitutionibus, quàm ut nimium proventum, fomitem, imò nutrimentum ejus ſubſtantiæ, quæ quàm maximè peccat, *præoccupet*; & illius quæ jam præſens eſt *præparationem* ad ſubductionem, cordi habeat: & tandem debito tempore etiam *ſubductionem* ipſam in effectum deducere, minimè obliviſcatur. Omnia verò hæc, ſed poſtremum præcipuè, ſub conſpiratione univerſalis harmoniæ, imò ſynergiæ *ordinariarum actionum* vitalium, earumque debiti tam *roboris*, quam *ordinis*.

§. XLVI.

Ita ſanè quod diximus, non habebit plus laboris; nempè, quod ajunt, *ſpecie*: facilè vero plus *numero atque tempore*. Et hoc in primis, quando vel ſua negligentia, non magis haſce res, quam varios illarum effectus, *inſueſcere* aut inſoleſcere ſinit: aut nulla ſuâ culpa, malè moratis hiſce rebus demum advocatur.

§. XLVII.

Immane enim eſt offendiculum, tam in vera pathologia, quam ſolida atque reali praxi, *Conſuetudo*, perverſis Motibus tan-

tantundem quam moribus, admodum facilis & ſolennis. Quæ, cum etiam hoc negotium temperamentorum, quin variarum quoque hinc pendentium commotionum, ita univerſum in Motu maxime conſiſtat, hic etiam facillimè introducitur & pertinaciter poſthac viget atque inſiſtit. Quæ certè res non ſolum difficillimam reddit, imò actu, impoſſibilem, temperamentorum mutuum *mutationem*, niſi *longo* tandem *tempore*, communiter tamen vix *leve* quiddam, obtineatur: ſed reverà etiam *ſanguinis* privatim *intemperiem*, correctioni debitæ ſatis refractariam præbet, neque fere niſi *temporarias* ſolum, & maturius iterum fetiſcentes, reſtaurationes admittit.

§. XLIIX.

Apprimè enim conſiderandus eſt mutuus ille *concurſus*, & inſeparabilis *conſpiratio*, *ſtructura* ipſius corporis, quatenus temperiei ſanguinis peculiari modo reſpondet atque proportionata apparet, quæ proinde etiam ejus *Phyſiognomonicum* ſignum conſtituit, & indicium præbet. Hæc autem, cum vix unquam mutetur, antè omnia *vaſorum* intuitu, tantò minùs de ſolida converſione temperamentorum *denſiorum*, & reſtitutione ad *laxam* ſanguineam indolem, ulla certior ſpes affulget: niſi quidem totum vitæ genus, & quidem inſuper ſub indole etiam & *ætate* adhuc maxime *alacriore*, omnis ſpei qualiſcunque fundamentum ſit atque concurrat. De qua re, ſicut etiam omninò neceſſe eſt, præcipuè, & latius quidem actum eſt, in ſæpius allegata Diſſertatione *de Temperamentis*.

§. XLIX.

Sicut autem interim hæ etiam à vera optima temperie deflectentes, ejusque adeo ſtricto intuitu omnino aliquid *intemperati* foventes, tres temperies, *cholerica*, *melancholica*, *phlegmatica*, quamdiu non nimium *excedunt*, eminentiores, inprimis abſolute ad tolerabilem *ſanitatem*, nedum ipſam *vitam* neceſſarias, actiones non lædunt: Unde etiam ab antiquitate poſitivè, *temperamentorum* nomine non ſolum notatæ, ſed etiam *intemperiei* directe contra diſtinctæ fuerunt: facit inde Medicus omnino feliciter ſuum officium; imò ſatisfacit ſuo offi-

officio, quando ſaltem ulteriores ataxias avertendo, hominem utique *in ſua claſſe* ita *ſanum* conſervat, nempe ad ſummum ab *exceſſivis* actionum vitalium perturbationibus immunem.

§. L.

Quomodo autem hoc obtineri poſſit, facilè dictitabit ſana ratio: Nempè partim *per ablationem jam præſentium, & præoccupationem imminentium* exceſſuum: partim per commotionum jam urgentium debitas *ſedationes*, & in *ordinem* reſtitutiones. Sicut autem ubique *conſilium* in genere, & *Modus* illud in optatum effectum deducendi, duæ ſunt res apprimè communiter inter ſe mutuo diverſæ; ita quid in hoc etiam negotio, Antiqui quidem ſenſerint, poteſt tandem, inprimis hinc inde prudenter etiam *ſupplendo*, & omnia *benignè* interpretando, præſertim autem præjudicia theoriarum prudentiùs potius evitando, quam cavillatoriè ſugillando, tandem qualitercunque confici. *Paracelſus* autem, cum ſuis ſequacibus mentem ejus preſſius inſectantibus, brevibus rem expedire aggreditur, quando inprimis diſſertiſſime libro V. Archidoxorum, profitetur, ſe inventorem eſſe talis medicamenti, quod intemperies quaslibet directè in optimam temperiem convertat: & hoc quidem non ſolum certò, ſed etiam citò, tutò, jucundè.

§. LI.

Merentur ejus verba, plurium etiam reſpectuum cauſa, cum occaſio ita ferat, breviter allegari. Denjenigen Stein der Philoſophen / welcher von vielen andern / auf allerley Weyſe beſchrieben wird / habe ich nicht erfunden noch gemacht / unterſuche auch denſelben hierinnen nicht / und begehre auch von demſelben nicht zu reden / weder von hören ſagen / noch was ich darüber geleſen. Darumb weil ich von demſelben keine Gewißheit habe / will ich deſſen Proceß an die Seite ſetzen / und von dem NB. Meinigen handeln / als welcher von mir / ſo wohl der Hand-Arbeit als Gebrauch nach erfunden worden NB. NB. und ſolchen nenne ich den Stein der Philoſophen / weil er /

wie der ihrige (die unreineren und übel temperirte metallen, in die beſtändigſten und beſten / ihrem Angeben nach/alſo der meinige) die Cörper der Menſchen tingiret / wie jene von dem ihrigen (auf die metallen) ſchreiben. Aber der meinige iſt nach ihrem proceſs nicht zugericht / als welchen ich dieſes Orts nicht verſtehe / noch auch ſonſten Erkäntnüß davon habe. Idem quàm maximè confirmat, magis ſollicitus & ſincerior pro ſuo captu, ejus interpres *Gerhardus Dorn*, expreſſe declarans, quod Paracelſus neque transmutaverit *metalla*, neque id potuerit, neque cordi habuerit: ſed uſus ſolùm ſit illius asſertionis *ſimilitùdine*, eò, quod ipſius negotiis pulcherrimè quadraret. Unde quoties de *converſione imperfectiorum metallorum in perfectisſima* loquatur, nihil aliud velit, quam quod illæ *imperfectæ imò malignæ conſtitutiones in corpore humano*, quas *Aſtrologi* æque *Planetis*, uti *Alchymiſtæ metallorum* proprietates, adſcribunt, in *optimam*, qualis inprimis *Auro & Soli* à talibus tribui ſolet, mutentur.

§. LII.

Quibus etiam jungi merentur, quæ de *modo operandi* ſpeculàtur idem Paracelſus, libro alleg. inquiens: Gleichwie das Feuer / wann es die fleckigte Haut des Salamanders auswendig verbrennet / ſolche gantz rein machet / als käme ſie erſt neu auf die Welt: alſo reiniget auch dieſer Stein der Philoſophen den gantzen menſchlichen Leib von allen Unreinigkeiten / NB. durch Einführung junger und neuer Kräffte / die er der Natur des Menſchen beyfüget.

§. LIII.

Helmontius hanc eandem ſemitam, non tam ingreſſus, quam inſiſtens, imò potius circumſpectans: *duplici* etiam ſpeculatione adumbrare ſatagit, modum, quo medicamenta, his inprimis, fundamentalibus veluti œconomiæ humanæ defectibus, mederi poſſint. Et hoc quidem non ſolum certò, ſed quod maxime omnium affectat, mirificè citò: cui proinde ſcopo etiam ſpeculationes ſuas accommodat. *Primò* putat hoc fieri poſſe, per modum *irradiationis*, & quidem *Archej*,

nem-

nempe ipſisſimam illam *Paracelſi*, *poſitivam*, & *repentinam* quidem, *renovationis*, imo actualis *ſuppeditationis virium* Naturæ. *Secundò*, effici hoc poſſe ſpeculatur, per ſuppeditationem peculiaris ſubtilisſimi atque præſentisſimi *impulſus* (*materialis* tamen magis, & *materiarum*, quam nudi *inſtinctus* τῷ Moventi conciliandi) Fermentativi: deſumpta ſimilitudine a magnâ energiâ *fermentorum*. Unde etiam expreſſe vocabulo *Driff*, potiùs *Drijv* inferiorum Germanorum, utitur, quod ſuperiores Trieb exprimunt, Latini *Impulſum* reddunt.

§. LIV.

Rectisſimè ſanè. Enimvero ſi materiei inæqualis proportio, per tale, inprimis *agilisſimum fermentativum ſeparans*, optatisſima illa promptitudine atque brevitate, ad ſecesſionem diſponeretur; & ſimul Natura ejusque *vires ordinariæ*, ita inprimis *incitarentur*, ut materiam hac ratione tam *promptè ſecedentem*, etiam ſtatim *vegetè* & *ordinatè* expelleret, nihil poſſet ab ipſa ſana ratione convenientius optari, nedum expectari.

§. LV.

Difficultas unica, ſed certe maxima, eſt in Praxi. Valet enim hic profecto tanto magis illud, quod propemodum in plerisque aliis *Therapiæ* Medicæ capitibus, inprimis autem de *remediorum* qualitercunque magis alterantium, inprimis vero *roborantium* potius quam ſimpliciter & craſſius *evacuantium* cenſu, verum eſt, nempè, ſi vel maxime optima etiam atque veriſſima *Methodus* apparet, quid agere conveniat, ingens communiter maneat difficultas, *quonam* verè efficaci *remedio* ſalutaris illa intentio in effectum deduci poſſit. Interim, ſicut non ſolum arduum eſt, quod pulchrum, ſed etiam propter difficultates minimè proinde ſtatim deſpondendus eſt animus: ita meritò certè diſpiciendum hic eſſet, quanta maxima quidem poteſt ſolertia, imò ſollicitudine, quid tandem veri hic non magis ſubeſſe poſſit, quam potius re ipſa etiam ſubſit.

§. LVI.

Ego certe, rei hujus ipſius non ſolum ex *autopſia*, ſed

etiam propria *Experientia*, abunde certus, tanto magis animum huc adjicere cordi habeo, quo magis, ſecundum meum concipiendi modum & analogiſmum, ut mihi videtur ſatis manifeſtum, puto me ſatis confirmatum eſſe, per ea quæ expertus ſum, in re *ſummum ſuum gradum nondum aſſecuta*, quid etiam ſperare ſit integrum, *quando ad illum deducta* fuerit. Cum autem de hoc negotio peculiarem tractationem publici juris facere mecum conſtituerim, Ego inquam Author Reſpondens, propterea non niſi ſummos rei apices breviſſimis hic attingam.

§. LVII.

Suppono, quod principium ſeu *agens Vitale*, (quod ſive *Archæum*, ſive *Naturam*, ſive *Spiritum Vitæ* appellare, nemini vitio vertam,) maximam conſpirationem, imo ſubordinationem habeat, cum *ſpirituali* illa *conſervatione motoria*, quæ *univerſi* noſtri orbis œconomiam veluti animat ac ſuſtentat. Tanto magis, cum etiam exquiſitiſſima ſit, me Judice, *harmonia*, præcipuæ & magis immediatæ *materiæ*, *in qua* & *per quam Motus primarius* fit atque viget, nempe *calorificæ*, ſeu ſubtiliſſimæ *ſulphureæ*. Hæc materia, cum in *ſummâ* utique ſui, & velut adhuc *minus determinata puritate*, quæri & obtineri poſſe appareat, ſpes utique non vana mihi inde viget, per hanc inprimis ſubſtantiam, quo *purior* eſt, eo magis *penetrantiſſimam* & *activiſſimam*, poſſe omninò obtineri, quod tam juſtis votis merito optatur.

§. LVIII.

Nempe *primo*, ut huius principii, ita *puri & intemerati* occurſu, illa ejusdem portio, quæ ſua *admixtione* inprimis, *temperiem ſanguinis* præcipue efficit: *proportione* vero ſua, & quidem non magis nudæ *quantitatis* qnam inprimis *optimæ* & nihil adulteratæ *qualitatis*, verem *optimam*, ejusdem temperiem efficit: Per iſtius, dico, occurſum hæc in ſanguine *aucta*, *roborata*, *adjuta*, eo ipſo promptius, imò promptiſſimè alias *hetreogeneitates* eadem ratione excutiat, quam ſub craſſis etiam *fermentativis ſeparationibus* videmus. Quemadmo-

dum

dum nempe una *materiæ fermenteſcentis* portio intimior, quando per *ſuæ ſpeciei puriorem*, & jam in *ſubtiliſſimo Motu* comprehenſam portionem (quod *Fermentum* appellari conſuevit) ita *incitatur*, ut *aliorum generum* materias citius *excutiat*, & propius in ſuam genuinam ſinceram indolem revertatur.

§. LIX.

Sicut autem hæc res non ſola & nuda *materia* hac, ſed propria potius ejus *ſpecialiſſima mobilitate*, nititur; ita intelligo, per hanc ſubſtantiam, *ſimplicisſimo ſui Motui univerſali* adhuc obſequentem, licet *pariter* concentratam, *provocari* etiam, ſive dicere malis *roborari*, illam Humanæ Naturæ movendi *activitatem* æquè atque *ordinatam* & *æqualem tranquillitatem*, quam vulgo partim *Virium* nomine in genere, partim *conſtantiæ* Naturæ (*ſibi conſtantis* Naturæ) in ſpecie appellare conſvevimus, & ſummæ utique, & longe primæ conſiderationis exiſtit: quoniam *vires malè adminiſtratæ*, pesſimè utique cedunt; exemplo *Epilepſiæ*, *Maniæ*, &c.

§. LX.

Qua ratione verò hæc ſubſtantia quæri poſſit, & quomodo, cum *nuda & per ſe* forte nusquam conſtringi atque colligi poſſit, cum aliis etiam pariter *purisſimis principiis*, *ſalis & Mercurii* nupta, obtineri: de eo ſententiam meam peculiariter, in modo promiſſam tractationem differo. Ad quam Deus Ter Optimus Maximus ut vires convenientes benignisſime largiatur, & tum meam, tum univerſam Medicam praxin, circa hoc negotium, æque, atque omne reliqvum, ad conſervationem atque reſtaurationem Optimæ temperiei ſangvinis, proficuum, benedictione ſua ex alto inſtruat atque ſecundet, ſupplicibus precibus ab illo exoro atque contendo.

S. D. G.

FUngitur officio Medici, nec inaniter unquam
Artis apollineæ Cultor & auctor erit,
Qui vitam ſervare poteſt, morbosque fugare
Verè felices tunc habet ille manus.
Ut bene cedat opus radices undique quærit
Sangvinis effectus hîc didiciſſe juvat.
Hæc tibi cum pateant, bene dignus haberis honore,
Proque labore tuo præmia multa capis.

Gratulab. ſcrib.

CHRISTIANUS THOMASIUS.

SUnt artis medicæ duo fulcra, ſcientia, & vſus:
Quæ quosuis medicos vtraque noſſe decet.
Quid iuuat alterutrum? doctas cognoſcere voces?
Aut ſine doctrinis vſus? vtrumque parum.
Hæc vtinam cuncti per noſſent artis alumni,
Qui duo diuelli nomina poſſe putant.
Tu mihi, qui iungis diuulſa, EISNERE probaris,
Ac tua ſe doctis pagina docta probat.

Cl. Dn. Candidato ex animo gratulatur

FR. HOFFMANNVS,
D. P. P.

SAngvinis humani quæ temperet aura colorem,
Quæquè ſit ætherei Spirituoſa fori:
Quomodo conſpirent, & in unum corpore in uno
Cedant, artifices conciliare ſtudent.
Tu quoque in hanc ſemitam tendens, ut in arte peritus
Et Medica & Chymica, hîc Experimenta refers.
Sulphuris ætherei Divinos ſuspicis ignes:
Scilicet his hominem concaluiſſe ferunt.
Ne metue invidias, quæcunquè Promethea Divûm
Preſſerunt, melius ſecula noſtra favent.
Fac modò ſis felix, & re potiâre cupita,
Mille Tibi laudes, commoda mille feret.
Gratulor audenti: felicia comprecor auſo:
Auſibus eximiis præmia digna fero.
Det DEUS ut Medicâ felicia quælibet Arte,
Artibus & Chymicis experiare, precor.

Experientiſſimo Domino Candidato gratulab. honoris causâ ſcrib.

PRÆSES.

- - - VIr in arte perite
Magnum opus intendis, Laticis ſervare rubentis
Temperiem juſtam, lapſam reparareque monſtrans.
Re ſi hoc præſtiteris tunc ſis mihi magnus Apollo.
Hic Medicina queat quid vix agnoſcere poſſum,
Quod pluris pia mens & quod ſtudioſa Diæta
Plus valeat, poſſum hoc oculis bene cerneere mentis.
Sed ego quid! curſum præſtat reſtringere pennæ
Hoc ſaltem brevibus dicam. Deus ipſe coronet
Proſperitate bona quâvis quos ſumis honores
Hocce die, & ducat Te gratia ſumma reducem.

Hæc paucula in monumentum arctioris neceſſitudinis erigere voluit

I. D. GOHL,
D. & Pr. Hall.

SAnguis in humano profectò corpore multa
Commoda præſtat, & hôc mixtio noſtra manet.
De ſucco rubro nunc ſanguine diſſeris aptè,
Conſerves ægris hunc, & amatus eris.
Ut rubeat facies maneatque color patientem,
Effice, propulſes pallida ſpicla necis.
Per tua confeſtim Patiens ſuſpiria ſpiret
Si precibus Numen, quod regit aſtra, colas.
Sancta Trias fauſtos jubeat, quos ambis, honores
Acclamo tandem; Vade bonis avibus.

Hæc ponere voluit, debuit
GODOFREDUS MEYER.

INvitâ quamvis hos verſus pango Minervâ,
Quos obſervo tamen, vena mea usque fluit.
Scribis de ſucco, qui in venis volvitur illo,
O certe vellem, vena bearet opus.
Accipias ergò curtum, quod præbeo votum:
Omnia fauſta Tibi, nulla ſiniſtra precor.

Hæc voluit, debuit
C. F. MEYER, J. C. B.

MEin Freund:

Er will anietzt hin zum Catheder gehn
umb der Gelehrten Welt die Proben abzugeben
wie leicht Sein muther Geiſt die Zweiffel könne heben
Die Seiner klugen Schrifft entgegen möchten ſtehn.
Und ich ſolt mich hierbey gar nicht bemühet ſehn?
Das wäre wohl gewiß den Pflichten wiederſtreben
Die einer ſchuldig iſt der recht vertraut will leben/
Und dems umb ſeine Treu ſo leichte nicht geſchehn.
Wiewohl ich fürchte faſt Ihm einen Reym zuſchreiben
Der doch wie er auch ſey müſt unvollkomen bleiben.
Ein unverdroßner Fleiß/ vollkommne Wiſſenſchafft
Erfodern einen Kiel/ der ziemlich hoch kan ſteigen
Und alſo thu ich wohl/ ich lerne hier nur ſchweigen
Und bleibe Ihm hierinn zur ſteten Schuld verhafft.

Mit dieſen wenigen wolte ſich zu des Herrn Reſpondentens ferneren gütigen Andencken recommendiren.

Chriſtian Auguſt Thomas.
LL. Stud.